DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

EFFECTIBUS

VINI ET SPIRITUS ARDENTIS

IN CORPUS HUMANUM.

Dr. Yelloly,
th best respects from
the Author.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
EFFECTIBUS
VINI ET SPIRITUS ARDENTIS
IN CORPUS HUMANUM;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS ROBSON,

SCOTO-BRITANNUS.

"*Hoc fonte derivata clades*
"*In patriam populumque fluxit.*"

HORAT.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1803.

FRATRI

ET AMICO DILECTO,

CAROLO ROBSON,

DE *SAMISTON*,

IN COMITATU DE ROXBURGH,

ARMIGERO;

HOCCE

QUALECUNQUE OPUSCULUM,

ANIMI DEVINCTISSIMI

PIGNUS,

SACRUM VULT

AUCTOR.

" Soon o'er each withering cheek the baleful pow'r
" Had spread unseen her life-consuming stain ;
" Nor knew th' exulting youth, who quaff'd elate
" The draught delicious, that untimely frost
" Lurk'd in the ſprings of life ; and secret chill'd
" The florid blood, and mark'd him for the tomb."

OGILVIE.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
EFFECTIBUS
VINI ET SPIRITUS ARDENTIS
IN CORPUS HUMANUM.

QUONIAM legibus almæ hujus Academiæ statutum est, ut quicunque medicinæ honores ambire studeant, aliquod de re medica conscriptum ederent, ex quo de progressu in hac scientia constaret; de effectibus qui ex liquoribus fermentatis et spirituosis in machinam animalem profluunt, breviter disserere statui.

Neminem enim latet horum abusum multis et tristissimis morbis originem præbere, quorum nonnulli vitam statim extinguunt, alii lentâ et miserandâ valetudine macerant, donec mors ipsa tantis ærumnis præstabilior fiat; tam acerbè ebriosi peccata sæpè luant! Quoniam autem in multis quæ ad rem latissimè patentem spectant, propria experientia deficit, haud pauca ex aliorum penu depromere, contentus sim, necesse est.

Homines utprimum ex vita fera et agresti emerserunt, in iis rebus comparandis, quæ sensus hebescentes gratiùs detinerent, novosque animi et corporis motus cierent, semper occupati fuêre; potu enim simplici, qualis natura sponte suggerit, parùm contenti, omnes nervos intenderunt, ut gratiores excogitarent: hinc omnia quæ hujusmodi liquores invexerunt mala, dira morborum cohors, et degener hominum progenies, repetenda sunt. Homines etiam maximè rudes voluptatem novamque mentis vim ex liquoribus fermenta-

tis

tis sibimet conciliare didicerunt, et ad hoc solamen semper avidissimè confugerunt, non minore morum quàm sanitatis noxâ.

Nulla adest ratio cur creda us homines naturâ tales liquores appetere: infantes enim voluptates quæ ex iis oriuntur nondum experti, utprimum gustaverint, ferè respuunt: nec aliter res se habet in adultis, donec prava consuetudo fastidium sapiente consilio a natura inditum superaverit*.

FORSAN

* "But things do not present themselves to the palate as they do to the sight: they are generally applied to it, either as food or as medicine; and, from the qualities which they possess for nutritive or medicinal purposes, they often form the palate by degrees, and by force of these associations. Thus, opium is pleasing to Turks, on account of the agreeable delirium it produces. Tobacco is the delight of Dutchmen, as it diffuses a torpor and pleasing stupefaction. Fermented spirits please

---

Forsan non abs re foret pauca de historia chemica liquorum fermentatorum et spirituosorum priùs tradidisse, quàm ad effectus quos in corpus exerunt progrediamur.

Partes vegetabilium quæ saccharo scatent, aquâ commixtæ, et ad certum caloris gradum objectæ,

---

please our common people, because they banish care, and all consideration of future or present evils. All of these would lie absolutely neglected if their properties had originally gone no farther than the taste; but all these, together with tea and coffee, and some other things, have passed from the apothecary's shop to our tables, and were taken for health long before they were thought of for pleasure. The effect of the drug has made us use it frequently; and frequent use, combined with the agreeable effect, has made the taste itself at last agreeable."—Burke on the Sublime and Beautiful.

objectæ, brevi mutationem satis insignem subeunt, quæ *fermentatio vinosa* nuncupatur. Si, exempli gratiâ, succus ex uva matura expressus in vas idoneum receptus fuerit, et ad gradum caloris circa 70 FAHREN. expositus, citò turbidus evadit, et aëris bullæ extricari incipiunt; liquor dulcedinem amittit, et saporem acrem adipiscitur: tandem aër evolvi desinit, sedimentum deponitur, et fluidum pellucidum fit, quod fermentationis jam peractæ indicium est. Dotes nunc adeptæ ex saccharo in liquorem pungentem, volatilem, odoris fortis, et qui flammam facilè concipit, converso pendent. Hic liquor distillatione seorsim parari potest; et secundum sermonem chemicorum hodiernum *alcohol* dicitur. Processus hujusmodi multò citiùs perficitur, si pars materiæ ex liquore jam fermentato depositæ adjecta fuerit. LAVOISIER theoriam hujus processûs primus detexit: ex ejus periculis constat, hanc fermentationem sine aditu aëris perfici posse; invenit quoque, aquam nequaquam

nequaquam decomponi, materiâ saccharinâ mutationem solummodò subeunte.

Hæcce materies ex *carbonio*, *hydrogenio*, et magnâ quantitate *oxygenio* constat: dum fermentescit, maxima pars carbonii et oxygenii sibi invicem attrahunt, et *acidum carbonicum* formant, quod evolvitur; quod autem horum reliquum est, hydrogenio nexum *alcohol* gignit.

Liquores fermentati ex succo maturo aliarum frugum, et etiam ex *fecula* omnis generis frumenti, parari possunt: quædam autem priùs sunt subeunda, quàm fecula huic processui apta sit: ad humorem enim et debitum caloris gradum exponi debent semina, donec germinationis signa sese manifestent; hoc modo fecula in saccharum convertitur, oxygenio absorpto, dum acidum carbonicum avolat. Hi liquores dotes diversas, secundum diversas ex quibus eliciti fuerint materias, adipiscuntur: variant quoque ex modo quo fermentatio

tio peracta fuerit. Hoc autem commune habent, quod omnes corpus excitant, et ebrietatem inducunt.

Ex hisce liquoribus fermentatis, fluidum admodum pungens, volatile, inflammabile, et vi stimulandi insigne præditum, distillatione obtineri potest: *spiritus ardens* dicitur. Horum odor et sapor multùm ex liquore ex quo eliciuntur pendent; omnes autem alcohol, cum aqua, oleo, et *materia extractiva* conjunctum, continent.

Si quis *vinum* * idoneâ quantitate in ventriculum assumpserit, gratus et ardens sensus pectus

* Quoniam eædem qualitates in vino insunt, quæ liquoribus fermentatis et spirituosis contingunt, sub nomine *vini* hos comprehendere satiùs duxi, quàm rem tantis verborum ambagibus distrahere.

pectus primùm occupat, qui brevi se per totum corpus diffundit: vis musculorum multùm intenditur, et omnes motus faciliores et promptiores evadunt: cursus sanguinis ubique incitatur, corpus incalescit, et secretiones augentur. Toto corpore vino fervente, mens quoque in consortium rapitur, nunc tristes curæ diffugiunt, ingenii vires novo acumine pollent; animi celeres huc, illuc per omnia versantur, et lingua insolitâ facundiâ valens, gratiam conciliat dictis.

> "Fœcundi calices quem non fecêre disertum?"
>
> HORAT.

> "The Claret smooth, red as the lip we press
> "In sparkling fancy, while we drain the bowl;
> "The mellow-tasted Burgundy; and quick,
> "As is the wit it gives, the gay Champaign."
>
> THOMSON.

Pathemata quoque animi majore impetu concitantur, et in motus abnormes erumpunt; hinc amator non ampliùs tacito comburitur igne, sed genio liberè indulgens, divinâ amicæ

cæ imagine corripitur, et laudibus in astra tollit. Nec minùs inter spumantia pocula amicitiæ est locus; hoc enim vinculo devincti, homines arcana pectoris recludunt, et dextram ferventiùs jungunt.

Non autem semper Baccho inflati, molliter sic tempus transigunt: nonnulli enim exæstuant irâ, alii invidiâ pallescunt, et sunt qui injurias diu sopitas hoc tempore præsertim reminiscuntur; et dira et aspera jurgia suscitant, quæ mentem excæcant, et sævo impetu in omne nefas præcipitant.

Sunt autem certi fines quos ultra si orgia protraxerint, vertigo supervenit, et artus titubantes corpus vix sustinere possunt; lingua verba proferre non valet; mens regi nequit, et aliena indistinctè effutiuntur. In hoc statu si pedibus stare aggrediuntur, statim humi

procumbunt, et mero obruti sensûs et motûs omninò expertes jacent.

> " Their feeble tongues,
> " Unable to take up the cumbrous word,
> " Lie quite dissolved. Before their maudlin eyes,
> " Seen dim, and blue, the double tapers dance,
> " Like the sun wading through the misty sky ;
> " Then, sliding soft, they drop."
>
> THOMSON.

Ex sopore tandem excitati, nauseâ, vomitu, et dolore capitis plectuntur ; maxima debilitas totum corpus pervadit, et vires omninò resolvuntur ; nec nisi multis horis elapsis, solita munia obire queant : tantas dat pœnas damnosa vini voluptas ! Hi ferè sunt effectus quibus vinum corpus brevi exercet ; et sanè dolendum est, gratum sensum quem ubique perfundit, tam subitò in contrarium abire, tantaque corpori mala inferre ; sin aliter, dulce cu-

rarum

rarum et laborum solamen meritò haberetur.

> "Dulce periculum est,
> "O Lenæe, sequi Deum
> "Cingentem viridi tempora pampino."
>
> Hor.

Quoniam autem nil magis vires enervat, omniaque corporis munera pessundat, ac vini abusus; sperandum est scientiam nunc dierum latiùs excultam, et in altius provectam, homines non frustrà admonuisse de malis quæ ex hoc dulci veneno progignuntur, ut si non prorsùs abstineant, saltem minore copiâ ingurgitent.

> "Evœ! parce, Liber,
> "Parce, gravi metuende thyrso!"
>
> Hor.

Opinio

Opinio diu invaluit, multos morbos primam originem ex frequenti ebrietate traxisse; et sanè quis non plurima conspexit exempla, ubi vini abusus homines dirissimis morbis affecit, vel prematurâ morte abstulit.

> " Though I look old, yet I am strong and lusty;
> " For in my youth I never did apply
> " Hot and rebellious liquors to my blood;
> " Therefore my age is as a lusty winter,
> " Frosty but kindly."
>
> Shakespeare.

Homines autem in nulla alia re magis hallucinantur, quàm de effectibus qui ex hoc fonte promanant; nec aliter fieri potest, cùm omnes ferè in summa ignorantia legum, quibus œconomia animalis subjicitur, versantur.

Sunt

Sunt enim multi, quotidianæ perpotationi addicti, qui hortante perditâ bibendi rabie, facilè adducuntur ut credant, quandam vim corporis ingenitam, eos immunes præstare ex malis quibus alii ex hac prava consuetudine objiciuntur.

Maxima pars hominum autem qui munera Bacchi nimis strenuè colunt, nullam omninò rationem ineunt de effectibus qui inde oriri dicuntur; dulci enim sodalium consortio gaudent, ubi pocula hilares vultus diffundunt, et sensus blandâ dulcedine mulcent; inter hæc quicquid duri vita habet obliviscitur, et mordaces curæ ad tempus sopitæ lætitiæ cedunt.

Tandem tamen, eheu plerumque nimis sero! bibaces sentiunt mala multa graviora ex vinolentia oriri, quàm ea quæ effugere tentant; sanitate enim ac re amissâ, vel subitam perniciem sibi adsciscunt, vel vitam anxiam,

am, tristibus morbis obsessam, sollicitè trahunt.

> " O'er the dread feast malignant Chemia scowls,
> " And mingles poison in the nectar'd bowls;
> " Fell Gout peeps grinning thro' the flimsy scene,
> " And bloated Dropsy pants behind unseen;
> " Wrapp'd in his robe, white Lepra hides his stains,
> " And silent Frenzy writhing bites his chains."
>
> DARWIN.

IN variis morbidis mutationibus quibus ex abusu vini corpus inficitur perscrutandis, effectus quos in ventriculum exerit, priùs veniunt perpendenda, non solùm propter gravissimum munus quo fungitur, sed quia hoc organum vi ejus deletrici imprimis obnoxium est.

Utcunque

Uteunque ab omnibus ferè conceditur, vinum nimiâ quantitate usurpatum totum corpus ocyùs seriùsve infirmare, multis persuasum est, tres quatuorve cyathos meri, vel pauxillum spiritûs ardentis diluti, vi stimulandi et cardiacâ quâ pollent, ad cibi concoctionem apprimè conducere. Hæc autem opinio nullo fundamento niti videtur ; et verisimile est usum vini non solùm in ventriculo sano cibi concoctioni non opitulari, sed reverà plurimùm obesse : experimentum a Doctore Beddoes nuper institutum, huic multùm favet. Ut notaret effectus qui ex liquoribus spirituosis statim proveniunt, curavit ut duo catuli, eodem partu editi, eandem cibi quantitatem acciperent ; uni drachmas tres spiritûs vini, unâ solummodò aquæ drachmâ diluti, dedit. Quinque horis elapsis, utrosque enecavit, et cadavera patefecit. Ventriculus animalis cui spiritum dedit, duplicem ferè quantitatem cibi continebat, ac in altero reperta est ; et frustula carnis parùm immutata

inventa

inventa fuêre. In alio autem vires ventriculi multò magis conspicuæ fuerunt; anguli cibi magis obtusi et comminuti apparebant, et tota substantia ejus mollior fuit *.

Quoniam autem optimè innotuit, vinum vi corporis latè stimulandi præditum esse, et æquè constat debilitatem omni stimulo secundum vehementiam tandem supervenire, ratio in promptu est, quare vinum internæ ventriculi superficiei sæpiùs admotum, vim fibris ejus musculosis insitam imminuere, naturamque succi gastrici corrumpere, deberet.

His cognitis, quare ventriculus horum qui abusui vini dediti sunt tam malè se habet, eruere facilè est; hinc appetitus cibi deletus, ventriculi inflatio post pastum, nausea, vomitus, cardialgia, et omnia signa molestissima quæ dyspepsiam comitantur.

Qui

* Beddoes's Hygcia, No. 8. p. 25.

Qui autem spiritum ardentem continuò ingurgitant, non solùm cibi appetentiam amittunt, sed eum usque ad nauseam fastidiunt; quodcunque in ventriculum accipiunt, vel statim rejicitur, vel brevi in fermentationem acetosam ruit, et miseros frequenti ructu, ardore ventriculi, torminibus, alvo nunc minùs solutâ, nunc pertinaciter astrictâ, torquet. Nec nox ullam dat requiem malis quibus vexantur; somnum placidum rarissimè carpunt; sed insomniis horrendis plerumque agitantur, et alma lux eos parùm refectos ad munera vitæ revocat: ut primum enim expergiscuntur, tremores occupant artus, et vires vacillantes munia solita obire nequeunt, donec stimulo assueto firmatæ fuerunt, qui tandem ex diuturna consuetudine inertiam excutere non ampliùs valet. Nunc omnia in pessima ruunt; animi facultates, unà cum corporis viribus, penitùs collabuntur; ex prostrata quoque cibi appetentia, nil concoqui potest ad quotidianam corporis jacturam reparandam; macies extrema evadit; corpus febre lentâ tabescit,

et veneni lues medullis penitùs insidens, morte optatâ, miseriis finem imponit.

Ventriculus horum qui liquores ardentes frequentiùs hauriunt, (Anglicè *dram-drinkers*), semper ferè morbidus repertus est. Dominus HUNTER eum plerumque solito flaccidiorem et molliorem, sanæ succi gastrici secretioni minimè idoneum, invenit *. Notatu quoque dignum est, liquoribus spirituosis deditos, inflammatione erythematicâ ventriculi haud rarò corripi : hæc enim opinio summâ Doctoris GREGORY auctoritate fulcitur, qui quoque hunc morbum sæpè in scirrhum ventriculi abire affirmat †.

In quibusdam exemplis, scirrhus obtinuisse videtur, nullâ inflammatione prægressâ ; in hoc casu probabile est, scirrhum levi et chronicæ

* SAUNDERS' Treatise on the Liver, p. 184.

† Audi Dris GREGORY Prælect. de Medicin. Pract. in Acad. Edin.

chronicæ inflammationi originem debere; hanc enim spiritu ardente tunicam ventriculi internam continuò stimulante concitari posse, colligere pronum est.

Intra paucos annos, pabuli caritas et morborum vis in quibusdam Germaniæ locis ita invaluit, ut multos equos enecare necessarium duxerunt. Dominus PILGER, hâc occasione nactâ, experimenta super ducenos equos variis venenis, et rebus stimulantibus, instituit: exitus quos habuerunt pericula quæ ad nostrum propositum pertinent, verbis infrà memoratis tradidit *.

MORGAGNI

---

* "I have given a number of horses wine and brandy, so as to raise them to a sensible degree of exhilaration. Upon these occasions, I constantly found that brandy gave the interior of the stomach a shrivelled appearance; that it had increased the orgasm of the blood-veſſels of the intestines, and produced congestions in the brain, which I did not observe from wine in this dose."

MORGAGNI ventriculum ebriosi cujusdam, quem post mortem aperuit, gangrenâ correptum, et in altero exemplo magnitudine haud parùm adauctum, se reperiisse refert *.

Duodenum quoque æquè ac stomachus scirrho corripi potest, qui forsan eandem causam agnoscit. Hujusmodi exemplum sese Doctori BAILLIE obtulit, qui hujus intestini tumorem scirrhoidæum et ulcus fœtidum in uno cadavere detexit †. Nonnunquam status duodendi

---

dose."—"But when I gave either wine or brandy enough to cause intoxication or staggering, to induce sleep, or to make the animal drop, and in this state had it killed, the brain was always much charged with blood, the orgasm in the fine vessels of the intestines strong, and the stomach shrivelled."—BEDDOES's Hygeia, No. 8. p. 27.

* MORGAGN. de Sedibus, &c. Lib. I. Epist. XXIV. art. 35. Lib. II. Epist. XXVI. art. 13.

† BAILLIE's Morbid Anatomy, p. 171.

duodeni morbidus ad ductum communem choledochum propagatur, qui ita crassus evadit ut egressui bilis obicem ponat; quò fit ut æger in icterum pertinacissimum incidat *.

Mala autem quæ ex abusu vini proveniunt, in alia viscera præter ventriculum gravissimè incumbunt; et hepar præsertim sæpissimè laborat. In hac et in aliis regionibus quæ cœli temperie non nimis fervida utuntur, jecur inflammationi lentæ obnoxium est,

---

* "In many cases, we find the abuse of spiritous liquors disposes to jaundice, evidently of the most unfavourable kind; because generally accompanied with diseased structure. They may act, by first altering the structure of the stomach and duodenum, and afterwards, by sympathy of contiguity, affect the biliary ducts of the liver. In the dissection of those who have been intemperate dram-drinkers, the diseased structure may be traced from the stomach along the course of the ductus communis, and I have frequently seen those ducts so contracted and thickened, that they could not transmit bile."—SAUNDERS on the Liver, p. 183.

est, quæ interdum in suppurationem rapitur, sæpiùs autem in scirrhum abit.

Tubercula hujus visceris, inter morbos quibus frequentissimè objicitur, a Doctore BAILLIE enumerantur *.

MORGAGNI quoque vinolentorum hepar mole auctum, et induratum, invenit †.

Vinum

---

* "This disease is hardly ever met with in a very young person, but frequently takes place in persons of middle or advanced age; it is likewise more common in men than women. This seems to depend upon the habit of drinking being more common in the one sex than in the other; for this disease is most frequently found in hard drinkers, although we cannot see any necessary connection between that mode of life and this particular disease of the liver."—BAILLIE's Morbid Anatomy, p. 213.

† Lib. I. I. 4. Lib. I. IV. 6.

Vinum inter causas remotas hepatitidis meritò recensetur, impetum sanguinis per hoc viscus adaugendo, hunc morbum concitare videtur. Bilis enim solito copiosiùs secreta, et plenitudinis sensus in regione hypochondriaca dextra, congestionem vasorum hujus visceris hepatitidem præcedere planè testantur. Si hæc affectio neque resolutione neque suppuratione finitur, sed solito diutiùs perstat, pars lymphæ coagulabilis in substantiam hepatis forsan effunditur, et scirrhi fundamenta jacit.

Hepatitis, quæ tantas strages in regionibus calidis, et præsertim in India Orientali, edit, ad stimulum quem calor corpori impertit, attribui solet; nec dubium est quin hanc causam sæpè agnoscat; aliàs autem vini abusui, cui ex Europa egressi tantùm ex variis causis addicti sunt, referri debet; horum enim haud pauci aliquid hujusmodi ad sanitatem tuendam omninò esse necessarium persuasum habent, vel, ut sermone propriâ utar, "*to keep the*

the liver afloat." Observandum quoque est Indiæ indigenas qui vino non utuntur, raró hepatitide laborare; siquando autem ex solita temperantia deflectunt, morbis jecinoris proni evadunt *. Constat quoque, animalia quæ granis et fæcibus post spiritum igne prolectum relictis vescuntur, hepar plerumque adauctum et induratum habere. Dicitur antiquos in hepate anserum plurimùm augendo peritos fuisse:

> " Anseris ante ipsum magni jecur, anseribus par
> " Altilis." JUV.

Et observator qui nuper iter per Siciliam fecit, affirmat eandem artem adhuc in hac insula prævalere; eam autem quippe crudelem, describere recusat, ne etiam in hac regione luxuriæ causâ obtineret †.

Si

---

* SHERWEN'S Observations on Bilious Disorders; Annals of Medicine, 1801.

† BRYDONE'S Tour in Sicily and Malta.

Si substantia hepatis admodum indurata fuit, poros biliferos comprimendo, icterum pessimi generis inducere potest *. Idem effectus oriri potest, si ductus hepaticus vel choledochus mali fit particeps, et vitium susceperit.

Quod ad lienem et pancreas attinet, labem ex eadem causa nequaquam effugiunt; præter ordinem enim tumida et scirrhosa reperiuntur †.

Icterus quoque originem nonnunquam ducit, ex mole pancreatis ita adaucta ut ductum choledochum comprimat.

Humor aquosus qui in cavum abdominis sæpè enormiter profunditur, ex hepate morbido

* SAUNDERS on the Liver, p. 84.

† MORGAGNI de Sedibus, &c. Lib. I. Epist. IV. art. 16. Lib. IV. Epist. LII. art. 30.

bido plerumque deducitur. Quodcunque enim circuitum sanguinis per hepar impedit, eum majore copiâ in vena portarum colligit; hinc major fit renixus sanguini ex arteriis vicinis in venas influenti; et pars tenuior uberiùs igitur per exhalantia in cavum effunditur, hydropi insanabili originem datura.

Ratione haud absimili, si hepar descensum diaphragmatis impedit, hydrothorax, ægerrimè sanandus, induci potest. Quodcunque libramen inter vasa exhalantia et absorbentia turbat, quo fit ut illorum actio intendatur, horumve imminuatur, hydropi ansam quoque præbere potest Huic vitio potores præsertim objiciuntur: œdema pedum priùs sese manifestat; et intumescentia totum corpus gradatim pervadit.

Nec vasa quorum est sanguinem per corpus promovere, vino minùs turbantur. Stimulo tam valido ad motus inordinatos incitantur, et sanguine ad quasdam corporis partes ube-

riùs

riùs delato, morbi, qui inflammationem habent, gignuntur. Hinc ebriosi ophthalmiâ sæpè corripiuntur, sanguine in vasis oculi congesto.

Phrenitis quoque ex frequenti ebrietate haud raròsupervenit; nec obscura ratio est, cùm sanguis ex hac causa insolito impetu in cerebrum fertur.

Rubedo et eruptiones quibus facies et præsertim nares potatorum turpiter notantur, ex vasis cutaneis, præter modum agentibus, forsan deducenda sunt.

Hæmorrhagiæ diversæ, et præsertim hæmorrhois et menorrhagia, ex usu immodico liquorum fortiorum sæpè prorumpunt.

Damna autem quæ ex abusu liquorum hujusmodi proveniunt, in systema nervosum præsertim incumbunt; sana enim actio cerebri et nervorum citiùs seriùsve semper turbatur.

Ex

Ex temulentiâ sensus et motus semper plùs minùsve infirmantur; haud rarò ad tempus omninò pereunt; quod ad sanguinem nimio impetu caput versus irruentem et cerebrum plus æquo urgentem, vel ad vim nervosam quodammodo imminutam, relegari potest. Apoplexia vinolenta paucis horis plerumque decedit: sæpiùs autem repetita, vasa infirmando, congestioni viam sternit; quâ fit ut ex ruptura vasorum, vel ab exhalatione adaucta, sanguis vel serum in cerebrum effunditur.

Eadem causa quæ magis intensa ad apoplexiam concitandam valeat, si levior fuerit paralysin inducere potest. In priori exemplo cerebrum forsan per totam substantiam laborat; in altero origo quorundam nervorum solummodò comprimi videtur, et hemiplegia immedicabilis, brevi forsan in apoplexiam desitura, enascitur.

Miseri

Miseri, paralysi correpti, quos in plateis artus languidos et exsuccos ægerrimè trahentes quotidie conspicimus, hoc tristissimum præmium ex prava consuetudine spiritûs ardentis ingurgitandi tulerunt; ad quem, venturi temporis parùm providi, sæpè avidissimè confugiunt.

Epilepsia quoque sæpè ex iisdem causis quæ apoplexiam et paralysin inducunt, oritur; inter hos enim morbos commercium quoddam intercedit.

In vinolentia mens haud leviter turbari, et delirium brevi decessurum induci solet. Inveteratâ autem bibendi consuetudine, mania, quædamve alia insaniæ species, minimè raro supervenit. Doctor CULLEN opinatur proximam insaniæ causam ex cerebro inæqualiter excitato pendere, quod ad statum hujus organi morbidum referri debet *: et habemus MOR-

* CULLEN's First Lines, &c.

MORGAGNI ipsum profitentem, cerebro insanorum ferro patefactum, in nonnullis partibus solito durius, et in aliis mollius, sæpè apparuisse*. Quandam mutationem in structura cerebri frequenti ebrietate induci posse, indubium est; modus autem quo hæc perficitur, altâ caligine obvolutus adhuc latet.

Ebriosi sæpè palpitatione cordis, et etiam syncope, laborant. Quoniam irritabilitas cordis multùm ex vi nervosa ex cerebro derivata pendere videtur, hos morbos ad vim cerebri vino imminutam attribui debere, verisimile est.

De podagra solummodò dicendum restat. Quoniam autem non apud me est litem dirimere quæ tamdiu inter medicos invaluit, pauca strictim perstringere sat fuerit. Etsi Doctor CULLEN ponit podagram ex labe hæreditaria

---

* Lib. I. Epist. II. art. 22. Epist. III. art. 6—16. Epist. VIII. art. 6. &c.

ria plerumque pendere; eam tamen sine ulla hujusmodi proclivitate oriri posse concedit *.

Doctor GREGORY proclivitatem ad podagram, et etiam ad quosdam alios morbos, ex labe a parentibus orta esse repetendam, habet; haud secus ac proles, ore, ac aliis, parentes sæpè referunt. Etsi autem proclivitas ad podagram ex parentibus in progeniem transit, rarò exinde morbus enascitur, nisi aliæ causæ concurrant; ita ut ferè penes quemque est morbum vel penitùs profligare vel invitare, prout vitæ genus huic faveat vel obstet. Quid invicta vis animi in hoc morbo debellando valeat, casus Doctoris GREGORY ipsius spectatissimum exemplum præbet. Professor ex majoribus in podagram pronus evasit; et etiam cum adhuc juvenis floruit ætate, exercitio neglecto, omnibus podagræ atonieæ signis correptus fuit. Statim autem diætâ parcâ, et idoneo regimine, morbo occurrere

* CULLEN's First Lines, &c.

currere strenuè incepit; et sanè præmium virtuti debitum tulit; per multos enim annos ex podagra omninò immunis vixit *.

Multa exempla podagræ eodem modo feliciter oppugnatæ adduci queant: duo solummodò casus, scilicet Doctoris CADOGAN † et Doctoris DARWIN ‡, a se ipsis memoratos, proferre liceat. Hi medici clari multùm podagrâ torqueri soliti fuerunt, et utrique sanitatem reducem ad legem temperantiæ strictè impositam debuerunt.

Observatum quoque est, fœminas podagrâ rarissimè corripi; et hoc jure a Doctore GREGORY relegatur ad victum et potum tenuiorem quibus uti consuescunt.

Etsi

* Aud. Dris GREGORY Prælect. &c.

† Dissertation on the Gout, &c.

‡ Zoonomia, vol. ii.

Etsi autem longa experientia eos præsertim podagrâ vexari, qui vino abutuntur, innuere videtur; minimè dubitandum est, quin quodcunque vires corporis frangat, eundem effectum edere potest.

Dr CADOGAN strenuè contendit, podagram in novem ex decem casibus ex vini abusu originem trahere; et ad opinionem tuendam, ad gentem in India Orientali *Gentoos* dictam provocat; hi enim diætâ ex vegetabilibus solummodò conflatâ utuntur, et ab hujusmodi liquoribus prorsùs abstinent; et hoc simplice vitæ genere ex podagra et aliis morbis chronicis omninò immunes evadunt. Dr HOME autem monet, etiam quosdam ex hac gente nonnunquam podagrâ plecti; morbus autem maximè infrequens est *.

† Audi Dris HOME Prælect. de Mat. Medic. &c. in Acad. Edin.

Inter podagram et nephritidem nexus satis arctus vigere videtur, frequenter enim invicem alternant; et concreta calculosa quæ arthriticis circa juncturas contingunt, haud parùm ea in renibus formata, referre reperta fuerunt.

Nec absimile est quin usus vini productioni *acidi urici* faveat, vires ventriculi imminuendo, quo fit ut calculi vel in renibus, vel in vesica urinæ, formentur.

Vinolentia quoque, vires corporis debilitando, homines ad miasmata quæ febres intermittentes gignunt, et quoque ad contagium quo febres continuæ grassantur, suscipiendum, multò opportuniores reddit.

Omnibus quæ ad mutationes morbidas quas liquores fermentati et spirituosi super corpus sanum

sanum edunt jam perpensis, pauca solummodò de effectibus qui ex usu eorum in quibusdam morbis ex aliis causis provenientibus, profluunt, dicenda restant.

In multis morbis ubi vires multùm deficiunt, hujusmodi liquores ad vigorem corpori restituendum plurimùm valent; stimulus enim quem corpori impertit, sæpè gratissimus est. Haud parum discriminis tamen inter effectus liquorum spirituosorum et fermentatorum intercedit; hi enim multò magis roborant, quàm qui ex distillatione parantur. Vinum ita strictè dictum, remedium roborans optimum est, et aliis meritò anteponi debet. Vina generosa Galliæ et Lusitaniæ aliis præstant. Cum hæc non obtineri possunt, liquores alii fermentati, vel mixtura (Anglicè *punch*) ex spiritu ardente aquâ diluto, et saccharo et succo citrico quo gratior fuit sapor commixto, locum horum suppeditabunt.

In

In omnibus typhi varietatibus vinum sæpissimè, et cum felicissimo eventu, administratur. Cùm pulsus mollis et frequens est, cùm æger de lassitudine conqueritur, et aliquid ad vires reficiendas desiderat, etsi hæc signa haud multum periculi portendant, vinum propinari debet. Quantitas assumenda, ex signis urgentibus et ex ægri consuetudine, pendebit; semper autem in usum ejus perstare debet, donec debilitatis sensus evanuerit. In gradu provectiore typhi, si maxima virium prostratio, stupor, mite delirium, subsultus tendinum, et signa quæ proclivitatem ad putredinem denotant, adfuerint, vinum remedium paratissimum est.

"Profuit inserto latices infundere cornu
"Lenæos; ea visa salus morientibus una."

VIRG.

Quoniam cùm debilitas urget, vinum remedium tam gratum invenitur, in usum ejus perstare, donec signa febrilia decesserint, et æger pristinum

pristinum vigorem recuperet, haud parùm proderit.

Inter paroxysmos febrium intermittentium, si vires multùm imminutæ fuerint, ad vinum aquâ probè dilutum non sine beneficio decurritur: in quantitate præscribenda, ad ægri constitutionem et habitum, nec non ad beneficium ex eo acceptum, respiciendum est.

In variola confluente, in cynanche maligna, et omnibus aliis morbis qui febre typho comitantur, vinum eodem modo ac in typho administratum, signis periculosis optimè occurrit.

In tetano, vinum Madeirense a Dre Rush, et aliis medicis, usque ad plures libras in viginti quatuor horarum spatio, cum felice eventu exhibitum est.

Sunt multi qui signis plectuntur quæ ex podagra occulta proficisci credunt, et vinum fortis-

fortissimum, consilio paroxysmum regularem inducendi, assiduè ingurgitent; nec desunt medici qui huic pravæ consuetudini suffragantur. Quoniam autem signa hujusmodi plerumque admodum ambigua sunt, talis medendi ratio multùm nocet; debilibus et senio confectis præsertim infesta est, nec rarò apoplexiam vel paralysin inducit.

In podagra retrocedente, cùm ventriculus nauseâ, vomitu, et dolore vehementi laborat, vina fortiora, vel etiam spiritus ardens, liberè adhibenda sunt.

Si opium nimiâ quantitate in ventriculum assumptum fuerit, spiritus vini Gallici, aquâ calidâ dilutus, multùm prodesse solet.

Hi ferè sunt effectus qui ex vino profluunt: et si homines usum ejus, luxuriæ causâ, omninò

ninò deponerent; et ad hoc solatium, cùm morbis obsessi sunt, vel corpus, annis confectum, aliquid meraciùs exposcat, solummodò confugerent; ab multis malis immunes sese præstarent, et breve et irreparabile vitæ tempus saniùs et gratiùs agerent.

FINIS.